

CAP. XCII.

Eutychniani cur sic dicti. Erroris autem eorum
caput vnum.



*E*utychniani ab ¹ Eutyche quodam Constanti-
nopolitana Ecclesie presbytero Monacho
exorti sunt, qui quum videretur refutare Ne-
storium, in Apollinarem Manicheumque
transiit, & humanitatis in Christo denegans veritate,
quicquid à Verbo nostre proprietatis receptum est, di-
uina tantummodo ² ascribit essentia, ut sacramentum
salutis humane (quod nõ nisi in vtraque substantia est)
nostram in Christo naturam negando dissolueret, stulta
impietate non inspiciens uniuerso corpori auferri, quod
capiti defuisset.

¹ Eutychniani ab Eutyche.) Verè hinc illud Ho-
ratianum usurpari potest, Dum vitant stulti vitia,
in contraria currunt. Nam quum Nestorii errorè
effugere conatur Eutyches, in alium ipse incidit, &
longè quidem terriorem, & superiore fœdiorem,
quem qui postea sequuti sunt, Eutychniani sunt de-
nominati: sed & Eutychitæ, & Eutychnianistæ, vt
apparet ex l. Quæcunque. & l. Ariani, C. de hæret.
& Manich. Quanquam Theodoretus lib. i. hære-
tic. fabul. Eutychitas alios ab istis fuisse docet, &
alius fuit Eutychnianus (qui & ipse hæreticus, licet
etiam fuerit alius Eutychnianus orthodoxus) alius
verò Eutyches iste, à quo cœpit hæc hæresis. Fuit
autem Eutyches Constantinopolitanus Archi-
mandrita, quem Abbatem postea vocarunt, su-
perbiæ superstitionisque monachicæ plenus, ho-
mo arrogans, & αὐθάσης, qui totam hæretici cœni-
facem